



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

XXIII. De virginibus Deo sacratis, sive secularibus, si mœchaverint.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

mortis est conveniendus. Quòd si se promiserit cessaturum, detur ei communio. Si resuscitatus, rursus mœchatur, placuit ulterius non ludere eum de communione pacis.

*De virginibus sacratis sive secularibus, si mœchaverint.*

C A P. X X I I I.

Item in Concilio eodem cap. x i i i. de virginibus sacratis scriptum est, si mœchaverint: Virgines quæ se Deo dicaverint, si pactum perdidierunt virginitatis, atque eidem libidini inservierint, non intelligentes quid amiserint, placuit nec in finem eis dandam esse communionem. Quòd si semel persuasæ ad infirmi corporis vitia lapsæ, tempore vitæ suæ hujusmodi feminæ egerint pœnitentiam, ut abstineant se à coitu, placuit eas in finem communionem accipere debere.

Pœnit. Rhab. c. 4.

Item in eodem de virginibus secularibus, si mœchata fuerint: Virgines quæ virginitatem suam non custodierint, si eosdem qui eas violaverunt duxerint & tenuerint maritos, eò quòd solas nuptias violaverunt, post annum sine pœnitentia reconciliari debebunt. Vel si alios cognoverint viros, eò quòd mœchata sint, placuit post quinquennij tempora, acta legitima pœnitentia, admitti eas ad communionem.

Pœnit. Rhab. ibid. Regino lib. 2. c. 151.

Item in Concilio Ancyrano cap. i x. de his quæ virginitatem professæ sunt, & de his quæ sub sororis habitu cum aliquibus commorantur, scriptum est: Quotquot virginitatem pro-

Pœnit. Rhab. ibid. Concil. An. Cyr. c. 18.

» mittentes, irritam faciunt sponfionem, inter  
 » bigamos computentur. Virgines autem quæ  
 » tanquam sorores cum viris habitare volunt,  
 » ab eorum consortio prohibemus.

*De his qui se sacris virginibus sociant; & de  
 virginibus non velatis, si mœchaverint.*

## CAP. XXIV.

Pœnit. Rhab.  
c. 5.

In decretis Gelasij Papæ cap. xx. de his  
 qui se sacris virginibus sociant scriptum est:  
 » Virginibus sacris temerè se quosdam sociare  
 » cognovimus, & post dicatum Deo propositum  
 » incesta fœdera sacrilegâque miscere: quos  
 » protinus æquum est à sacra communione de-  
 » trudi, & nisi per publicam probatâmq; pœ-  
 » nitentiam omnino non recipi. At his viaticum  
 » certè de seculo transeuntibus, si tamen pœni-  
 » tuerint, non negetur.

Pœnit. Rhab.  
ibid.

Item in decretis Innocentij Papæ cap. xx.  
 de virginibus non velatis, si deviaverint, scri-  
 » ptum est: Hæ verò quæ necdum sacro vela-  
 » mine testæ, tamen in proposito virginali sem-  
 » per se simulaverunt permanere, licet velatæ  
 » non sint, si fortè nupserint, his agenda ali-  
 » quanto tempore pœnitentia est: quia sponfio  
 » earum à Domino tenebatur. Nam si inter ho-  
 » mines solet bonæ fidei contractus nulla ratio-  
 » ne dissolvi, quanto magis ista pollicitatio,  
 » quam cum Deo pepigit, quomodo solvi sine  
 » vindicta poterit. Nam si Apostolus illas quæ à  
 » proposito viduitatis discesserunt dixerat habe-  
 » re damnationem, quia primam fidem irritam  
 » fecerunt, quanto potius virgines quæ prioris